troitus autem fluminis Euphratis angustos introie- "
runt. Et in eam Regionem perventuris, fuit via ma- "
gna, iter unius & dimidii anni: regio autem illa Har- "
ſcharet vocatur. Tunc habitaverunt ibi ad ultimum "
uſque tempus. At hæc, vel apocrypha, vel vana ſunt: "
neque enim dubium eſt mihi ullum, quin quartus ille Eſdræ liber, multa aliàs optimæ notæ comprehendens, quàmplurima quoque admixta habeat ab alienâ manu. Quin &, licet ibi vera Hiſtoria recenſeretur: attamen ad Americam haut referri poſſe, ex eo non difficulter colligere quimus; quòd Judæi tenaciſſimi ſunt tàm linguæ, quàm ceremoniarum Hebraicarum. Quarum né veſtigiũ quidem ullum eò loci reliquum eſt; cùm tamen earum conſervandarum cauſsâ, Judæos illos ſe ab aliis ſeparâſſe, ipſe commemoret Eſdras.

vntern Menasseh ben Israel [illegible] in Ameri[illegible]

9. Alii itidem adhûc inveniuntur, qui jam olìm in Inſulis illis, ab Hiſpanis recens indagatis, Chriſti nomen annuntiatum fuiſſe, putant: cùm monimenta fidei Chriſtianæ, in terris ſepulta, fodiendo fuerint reperta; ut Oſorius *in hiſtor.* prodit. Marinæus item Siculus, in Hiſpanico Chronico contendit; loca iſta, quondam etiam à Romanis perluſtrata fuiſſe: ex eo, quòd numus antiquus, Auguſti Cæſaris effigie notatus, in aurifodinis ſit inventus, miſſuſque in rei fidem ad Summum Pontificem, per Archiepiſcopum Conſentinum. Quod equidem ferè tàm facilè refutari poteſt, quàm dicitur ſpecioſè. Mirum eſt, numum unicum repertum eſſe; præterea veſtigium nullum: mirum ampliùs, numum illum in aurifodinis latuiſſe; nullum poſteà eductum unquàm. Hiſtoriam narrabo, à Bertio veriſſimam judicatam; ex quâ judicare licet,

Abbatus demonſtrat. Antichriſti. c. 5. fol. 110. &c.
Philippus Nicolai, lib. d. Regno Chriſti. ſuprà laudato loco, longo ſtylo.
Bertius, in Tabul. in deſcriptione Americæ, fol. 621.
Lipſius Phyſiolog. Stoic. lib. 2. differtat. 19. fol. 125.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 7, [17] - 13